DE

HYDROCEPHALO CHRONICO INTERNO.

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILELMA

UT SUMMI

IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XXI. M. NOVEMBRIS A. MDCCCXLII.

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

PETRUS HENRICUS ROOS

RHENANO-BORUSSUS.

OPPONENTIBUS:

A. BENEDIX, med. et chir. Dr.

H. ZIMMERMANN, med. et chir. Cand.

J. B. HÜRTER, med. et chir. Cand.

BEROLINI,

TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

VIRO

AMPLISSIMO, DOCTISSIMO, EXPERIENTISSIMO

F. X. Soist,

MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, REGI A CONSILIIS MEDICIS, COLLEGII SUPREMI EXAMINIBUS MEDICIS HABENDIS CONSTITUTI SOCIO,

NEC NON

VIRO

HUMANISSIMO SUMMEQUE VENERANDO

P. H. Reichmann,

AVUNCULO

OPTIMO DILECTISSIMO

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Priusquam ad ipsam hydrocephali chronici expositionem adeamus, quid sit omnino hydrocephalus, quaeritur: quod tamen facile vel tirones cognoscant. Ipsum nomen enim indicat esse hydropem morbum, quo humores serosi, lymphatici, purulenti in cavo cranii vel cerebri ventriculis colligantur. Facillime jam unusquisque intelligit, quid chronicus denotet hydrocephalus, cui opponi solet a medicis acutus, quem tamen Schoenleinius, vir illustrissimus, e numero hydropsiarum relegat, et recte quidem, ut videtur. Argumenta, quae hic necesse non est afferri, invenies apud Lud. Forsbeckium (1) et in Schoenleinii praelectionibus (2).

Hydrocephali chronici vulgo a medicis quatuor distinguuntur species;

---

(1) Dissert. de hydrope acuto p. 6.
(2) Vorlesungen. Theil III. p. 155.

1) Hydrops intra duram matrem et tunicam arachnoideam;

2) inter arachnoideam et piam matrem;

3) inter piam matrem et encephalum;

4) hydrops ventriculorum cerebri.

Quae tamen subtilior quam utilior esse videtur divisio, praesertim quod nusquam fere harum specierum aliqua sola, sed plerumque plures inter se complicatae reperiuntur.

Nos igitur sequimur sententiam Schoenleinii, qui duo praecipue genera hydrocephali chronici statuit, hydrocephalum chronicum infantum et hydrocephalum senum. Hunc (hydrocephalum dico senilem) Schoenleinius primus, nisi fallor, observavit et de ratione, qua sit curandus, in praelectionibus, quas habuit Tiguri, primus disputavit, quamvis non ita raro inveniatur hic senum morbus, quo rarissime aegroti liberantur. Ille vero (infantum hydrocephalus chronicus) haud fugit ipsos veteres: id quod intelligimus ex Hippocrate (1), qui morbum describit, ex Celso (2), ex Aëtio et Paulo Aegineta (3). Qui

(1) De morbis lib. II. sect. 5. ed. Foesii n. 15 ed. Marinell.

(2) Lib. IV. cap. 2.

(3) Lib. V. cap. 3 et historiarum med. historia XIII. Venetiis 1621.

hos secuti sunt, nullam fere attentionem impendisse videntur medici huic morbo accuratius et cognoscendo et curando. Anglici tandem medici majori studio in hunc morbum incubuerunt, imprimis Joannes Paisley (1) (1733), Robertus Whytt (2) (1768), Fothergill (3), Rush (4), Watterson. Optime tamen omnium meruit de hujus morbi curatione Odier, vir celeberrimus, qui a. 1779 de eo (5) egregie disseruit. Praeter hos praecipue Tissot et Ludwig (6) maxime digni sunt, qui legantur. Neque sunt omittendi, qui eos sequebantur, Wichmannus, P. Frank, Hopfengaertner, L. Formey (7), alii; Weicardium contra negavisse, morbum singularem

---

(1) A. Hydrocephalus with remarkable symptoms by John Paisley medic. essays. Edinb. T. III. p. 335.

(2) Ueber die Gehirnwassersucht. In dessen sämmtlichen zur prakt. Arzneiwissenschaft gehörigen Schriften. Leipz. 1771. V. Vol. p. 662.

(3) Medicinal observations and inquiries. Vol. XVII. p. 487.

(4) Bemerkungen über die Ursachen und Heilart des innern Wasserkopfs. In der Sammlung auserlesener Abhandlungen für praktische Aerzte.

(5) Mémoires de la société royale de médecine. In der Sammlung auserlesener Abhandlungen für praktische Aerzte.

(6) Dissertatio inaug. de hydrope cerebri puerorum. Lipsiae 1774.

(7) Von der Wassersucht der Gehirnhoehlen. In Horn's Archiv. Vol. IX. p. 219.

esse hydrocephalum chronicum, vix est quod commemoremus.

Ante omnia autem, ut primum de infantum hydrocephalo chronico loquamur, hujus

SYMPTOMATA

excutienda sunt, quibus diagnosis vera et certa constituatur. Alii quidem alia retulerunt; tamen omnes fere medicinae professores consentiunt, infantes mirum in modum fieri morosos et immorigeros, ita ut defixis oculis ipsas res, quas summa antea voluptate amplecti solebant, eodem fere modo, quo res sibi antea invisas, intueantur. Nec incedere discunt, nec loqui, aut si antea didicerant, difficilius incedunt et loquuntur, vel plane dediscunt et obliviscuntur. Caput non amplius erectum manibus sustentant, et si violentius excitatur, vomitiones spontaneae interdum moventur. Maxime tamen ipsae capitis mutationes in oculos cadunt. Fonticuli enim, qui dicuntur, haud coëunt, inprimis major. Videtur hic esse, si tangis, tumor quidam mobilis et fluctuans, super ceteras tumoris partes prominens, et, si percutitur, sonum, qui dicitur, humoris edit. Quem si gravius presseris, ipsas convulsiones et spasmos excitabis. Ab hac tumoris parte

capitis volumen accrescit, idque per omnes partes aequabili modo, ita ut caput super faciem undique promineat. Facies ipsa ea re senilem quendam macilentumque prae se fert habitum craniumque, plus triplo vel quadruplo saepe auctum, ei quasi adglutinatum videtur. Capitis non raro tanta amplitudo et aquae tanta est vis, ut cranium pelluciditatis aliquid adipiscatur. Sic Reuschlinus invenit in capite infantis nondum decem hebdomades nati plus quam triginta septem uncias humoris serosi; Gordon (1) describit caput infantis septem hebdomades nati, quod post mortem circuitum triginta pollicum habens, plus quam centum triginta sex uncias seri continebat. Pascoli (2) vidit infantem paene annuum, qui pondus viginti sex librarum habebat, ita quidem, ut caput solum librarum viginti unius pondus aequaret. Alia attulit exempla Meissnerus (3).

In aliis autem, si sequeris viros doctos, praecipue Meissnerum, volumen capitis minus est normali. Canstatt varietatem eam esse hydrocephali chronici statuit,

---

(1) Transactions of the medico-chirurgical society of Edinburgh. 1824.

(2) Uebersicht über das im Jahre 1825—26 in der medic. prakt. Schule an der k. k. Universität zu Innsbruck gepflogene Heilverfahren von Dr. Ant. Pascoli. Innsbruck 1827.

(3) Kinderkrankheiten. Theil II. Leipzig, 1828.

quae non inveniatur, nisi congenita. Nascentium font culos in ea vulgo esse clausos et suturas junctas; capu habere conicam quandam formam, a lateribus et a front quodammodo elisam. Hanc varietatem exhibere transitu ab hydrocephalo in cerebri atrophiam. Plerosque ho morbo affectos mori aut nascentes, aut paulo post spa smis correptos. Oculos eorum continue fere spasmi modo convelli et contrahi, aut frigentes et fixos haerere pupillas esse dilatatas. Fatuitatem summam manifesta aegrorum vultu, magnam esse voracitatem, neque ind vires instaurari; deinde suffocationes, urinae et alvi ex cretiones spontaneas oriri; coma denique finem misera vitae imponere.

In aliis tertia hydrocephali chronici specie laboranti bus normalem inveniri proportionem contendunt iide viri docti, quos supra memoravimus. Aliud symptom cernitur in sensibus interdum plane in contrarium mutati Oculorum enim antea acerrimorum acies hebescit, et pu pillae tantopere dilatantur, ut saepenumero amblyopi amaurotica ostendatur. Eodem modo olfactu hi miser infantes destituuntur, ita ut sensuum solus auditus ii remaneat, qui magis interdum, nempe morbi principio acuitur. Mox etiam hic sensus paulatim exstinguitur Causa in eo est sita, quod cerebellum, quum primum

aqua formari incipit in majoribus cranii ventriculis, initio quidem incolume et salvum, tandem tamen offenditur.

Deinde ipsae oriuntur paralyses. Mox igitur neque incedere, neque loqui, nec audire, neque olfacere, neque gustare aegroti possunt; paralyticae affectiones organorum pelvis, vesicae scilicet et intestini recti. Symptomata denique spastica in respirationis organis, suffocationes vespertinae, sub quibus spiritus interclusus, aut brevis et anhelans, facies livida reperitur. Vomitio denique miserorum infantum vitae finem facere solet.

Non eadem sunt symptomata hydrocephali senilis, vel hydropis cerebri. Sensuum repentina in pejus mutatio primum solet signum esse hujus morbi, in quem nemo fere incidit, nisi qui sexagesimum aetatis annum excesserit. Memoria aegrotorum mirum in modum minuitur, brevissimoque temporis spatio mente desipiunt.

Primo caput grave et temulentum queruntur, quod non amplius erectum sustinent, tum autem vertigine interdum conflictantur; sub vesperam facies plerumque livida, caput fervidum, pupilla primo contracta, mox dilatatur, unde tenebrae oculis quodammodo offusae. Pulsus non mutatur, cutis extremitatum satis frigida, omnes secretiones imminutae. Alvus igitur adstricta, urina tenuis ac purpurei coloris.

Diagnosis igitur, ut paucis dicamus, maxime constituitur repentina virium animi imminutione, capitis demissione ejusdemque fervore, faciei livore et omnium secretionum minutione. Jam vero, ut certior faciliorque evadat diagnosis, agamus de morbi

RATIONIBUS ANATOMICIS (1).

Cranii volumen, ut supra commemoravimus, immensum fere est; fonticuli et suturae distentae, ita ut interdum spatium digitale vel pollicare interjaceat. Cranii ossa scidulis tenuiora, digitorum pressioni cedentia, pellucida, diploë carentia. Forma cranii cum ea, quae foetui esse solet, consentiens; prima ossificationis loca prominent, ut os bregmatis, os frontis, os occipitis. Nulla inter cranium et faciem proportio: facies enim illo multo minor est. Sulci inter gyros cerebri evanuerunt; substantia hemisphaeriorum saepe in substantiam tenuem et membranaceam commutata; medullaris et corticalis substantia plerumque inter se discerni nequeunt. Cerebri substantia plerumque emollita, raro indurata. Cerebrum atrophicum,

---

(1) Cfr. Canstatt, specielle Therapie und Pathologie. Band III. p. 62 u. 63.

dura mater non raro densata. Interdum tubercula in cerebro et aliis organis, praesertim in pulmonibus inveniuntur.

Saepe cerebri substantiam reperimus sero commixtam (oedema cerebri); aqua exstillat factis cerebri incisionibus. Quod oedema si invenitur, simul plerumque inter meninges serum reperitur et in ventriculis.

Quantum aquae in ventriculis deprehendatur, supra jam diximus. Caeterum aqua in hydrocephalo ab aliis, qui in aliis cavis inveniuntur, humoribus magnopere differt: etenim perparum continet solidae materiae ac nihil fere albuminis, neque aestu neque acidis coagulatur; saepenumero autem sic, ut nihil remaneat, evaporatur et evanescit. Color ejus plerumque limpidus est et subflavus. Prout, vir doctissimus, specificum pondus 1,9008 et in aquae 987,18 non plus quam 1,66 albuminis, 1,65 materiae spiritu vini solubilis (fortasse adipis et natri lactici), 6,80 kali et natri muriatici esse dicit. Marcetus invenit in mille gr. humorum 9,2 gr. solidae materiae, et quidem 1,12 gr. animalium et 8,8 gr. salinorum elementorum. Barruel aquae invenit 9,900, albuminis 0,015, osmazomati similis materiae 0,005, salis marini 0,05, natri phosphorici 0,005, natri carbonici 0,010.

EXITUS MORBI.

Hydrocephalus chronicus non raro per longum temporis spatium protrahitur. Fuerunt, qui amplius quam triginta annos, imo quadraginta annos nati hoc morbo laboraverint (1); plurimum tamen annis aliquot post morbi initium miseri illi moriuntur. Aliis, si qui accedunt, morbis chronicus hydrocephalus plerumque acutus redditur; qua de caussa hominibus, qui chronico hydrocephalo laborant, periculosissima ea complicatio est, cui omnem curationem impendat medicus necesse est. Huc pertinent potissimum epiphora simplex, dentitio, magis vero morbi illi quibuscum irritatio cerebri facile conjungitur, quorum de numero sunt acuta exanthemata.

Mors ipsa non semper eodem modo affertur. Interdum enim

a) si cranium rumpitur, ubi fonticulus major est, inflammatio erysipelacea oritur, quae mox transit in gangraenam.

b) Chronicus abit in acutum hydrocephalum, qui vitae finem facit.

---

(1) Cfr. Meckel, pathol. Anatom. I. pag. 295.

c) Vis aquae in cranio collectae primo irritationem, tum vero paralysin efficit eamque non sine convulsionibus et dyspnoeae insultibus.

Nec tamen is semper est morbi finis. Inderdum videlicet aegrotus eatenus sanatur, ut ex organis, quae cum cranio cohaerent, ut e naribus, ex auribus, aqua in cranio collecta exeat (1); aut in hunc modum, ut, quae adhuc haerebant et titubabant secretiones, magnopere augeri incipiant, praecipue per renes atque per intestina. Hac re cranii volumen ad normam redit, ita tamen, ut facultatum animi acies, quae ante morbum fuit, non revertatur, nam semper residet hebetudo quaedam mentis.

Tertio fieri potest, ut morbus non radicitus sanetur, sed tantum ex parte. Morbus enim interdum subsistens neque progreditur nec minuitur, nec redeunt commutati cranii forma ejusque nimium volumen, et quae sunt alia hydrocephali chronici indicia. Tum homines magno in vitae discrimine versantur, quamquam vitam non per tempus adeo breve ducunt. Veluti Goelis (2) duos vidit ho-

---

(1) Cfr. Storch, Abhandl. v. d. Kinderkrankheiten. Eisenach 1760. S. 399.

Schoenlein, Vorl. Th. III.

(2) Goelis prakt. Abh. üb. d. vorzügl. Krankheiten des kindl. Alters. Wien, 1818. Band II.

mines hydrocephalo chronico laborantes, quorum unum septuaginta novem, alterum septuaginta duos annos vixisse dicit. Anglum quendam eodem morbo affectum adhuc vivere idem contendit, eundemque annum quadragesimum excessisse.

Hydrocephalus senilis (1) periculosior est. Nam quamquam palliativum auxilium potest afferri idque, si medicus tempestive consulitur, sine magna difficultate, morbus tamen fere semper serius ocius recidivus finem vitae postremo imponit.

CAUSSAE (2).

1) Ante omnia nemo possit negare; hydrocephalum hereditate quadam propagari: id quod facile inde colligi potest, quod familiarum infantes complures in istum morbum incidunt. Sennertus etiam patris debilitate cum exoriri dicit et ex crapula, qua vel maritus vel uxor inter

---

(1) Cfr. Schoenlein, Vorles. Th. III. p. 157.
Canstatt, spec. Path. u. Ther. Th. III. pag. 134.

(2) Cfr. Schoenlein l. c. p. 156.
Canstatt l. c. p. 65.
P. Frank de cur. morb. II. p. 749. Meissner, Kinderkrankh. p. 142—145.

ipsum coitum teneatur (1), ex nimis frequenti concubitu, ex aetate provectiore, ex nimia ventris (2) compressione, sive per vestimenta sive per fascias, quas gravidae tum vanitate ductae, tum pudore intempestivo (id quod apud stupratos graviditatem celare studentes non raro observatur) imprudenter adhibent. Effici etiam creditur ex terrore vehementiore aut saepius repetito, ex anxietate, qua longius per tempus gravida afficiatur, ex imaginatione perversa, ex uteri asthenia (3).

2) Apud infantes vero jam editos, quum omnis hydrocephali poxima caussa nulla alia sit, quam inter vasa exhalantia et absorbentia disproportio, capitis congestiones vulgarem morbi caussam exhibent. Ea de re ipsam aetatem infantilem ad hydrocephalum praebere diathesin, vix est quod moneamus, quum nemo ignoret, quam saepe evolutione cerebri et dentitione provocetur. Adde, quod

---

(1) Goecke, dissert. inaugural. de hydrocephalo acuto p. 19, negat se posse amplecti hanc sententiam, quam primus, ut videtur, Werneckius protulit.

(2) Cfr. Struve, neues Handbuch der Kinderkrankh. S. 125. Bresl. 1797.

(3) Cfr. Rosenstein, Kinderkrankh. S. 641. Wien, 1787. P. Frank, epit. de cur. morb. T. VI. p. 338—339. Mellin, Kinderarzt. Kempten 1747. p. 53. Sennert, de morbis infantum p. 183.

in universum apud infantes animadvertimus proclivitatem ad morbos exsudativos.

3) Ipsa, ubi congenita est diathesis ad hydrocephalum, formatio cranii sistere videtur causam. Nimirum non raro invenitur caput, si comparatur cum caeteris corporis partibus, nimis amplum; ossa frontalia et parietalia sic prominent, ut caput speciem quadrangularem habeat. Fonticuli plerumque magni sunt manentque perdiu aperti. Color tener, venae, imprimis temporum et colli pellucent; oculi sunt lucidi. Evenit non raro, ut bonis animi et ingenii facultatibus praediti promptos in discendo pregressus faciant. Hoc tamen, nisi parentes et praeceptores illis viribus parcant, detrimento esse potest infantibus, ita ut hydrocephali orientis caussam suppeditet. Hae fere sunt causae disponentes.

Occasionales vero, quae dicuntur, causae sunt:

1) Infantum nimis stricta involutio, praesertim nimia colli constrictio per vittas collares, cunarum agitatio nimis vehemens, laesiones externae et offensiones cranii vel ictu vel lapsu; nimius calor sive aestate, ubi solis radii infantem nimis percutiunt, sive hieme, ubi cunae fornaci nimium admoventur; ipsa capitis positio prona, cachinnus major, effusa virium contentio; animi affectu

nimis concitati, ii potissimum, in quos creberrime infantes solent incidere, terror et ira.

2) Spirituosa infantibus temere oblata, emetica, narcotica, praesertim opium, quod matres et nutrices, ne ipsae ex dulci somno excitentur, in potione, quae dicitur, somnifera praebent infantibus.

3) Hydrocephalus chronicus non ita raro ex repentina acutorum exanthematum, scarlatinae, morbillorum, aliorum ejus generis morborum metastasi nascitur.

Hydrocephali senilis vero, qui saepius apud feminas quam viros reperitur, eaedem fere, quae sunt apoplexiae in senibus, causae esse videntur. Inter sectionem enim animadvertitur apud senes plerumque tam exigua cerebri copia, ut, quum cranii cavum non amplius impleatur, vacuum existat inter cerebrum et internam calvariae superficiem. Haec esse videtur causa hydrocephali senilis eodem modo, quo tabes hepatis aut splenis caussa est ascitae.

Causae occasionales esse videntur cerebri irritationes, vires mox debilitantes, ut lucubrationes studiorum causa, insomnia, spirituosorum, praecipue spiritus frumentacei abusus.

PROGNOSIS (1).

Hydrocephalum chronicum, morbum sine diebus criticis et sine typo, aegritudinem esse periculosissimam et difficillimam curatu, tum ob teneritatem organi, quod afficitur, tum ob malum occultius serpens, vix quisquam negabit. Id quod ne peritissimi quidem artis medicae professores infitiati sunt. Cave tamen, ne omnino de sanando tali aegroto desperes. Namque quaeritur

a) num sit morbus congenitus; num in foetu utero nondum excluso ideoque ante partum, an in nato demum exortus: illum enim fatendum est semper mortem afferre. Eandem sententiam profitentur viri doctissimi (2).

b) Num sit morbus recidivus, quem itidem insanabilem esse perhibent.

c) Num omnes actiones eodem, quo ante morbum modo, i. e. rite peragantur; num organa omnia integr

---

(1) Cfr. Schoenlein l. c. p. 157.
Canstatt l. c. p. 66.
P. Frank l. c. §. 751 et §. 737.
(2) Cfr. Plenk, doctrina de morb. infant. p. 20.
G. Richter, specielle Therapie. Berl. 1815. p. 223.
Dreyssig, Handb. der Pathologie. Leipz. 1799. S. 22

atque salva sint. Quae si ita se habent, non omnis salutis spes deficit.

d) Num adsint coma, deliria, graviores convulsiones, quamquam etiam leves, si adsunt, omnem ferme spem adimunt salutis recuperandae.

e) Quo in morbi stadio medicus ad aegrotum arcessatur, et si tempestive, i. e. initio morbi, arcessitus sit, num morbum statim diagnoverit. Quodsi ita est, fieri potest, ut aegrotus sanetur: id quod eo facilius contingere poterit, si morbus ipse levioris est indolis, nec per totum cerebri ambitum diffusus, sed minore tantum cerebri loco circumscriptus.

f) Num natura ipsa artem medici adjuvet. Quod maxime cernitur in scabie, herpete et quibusdam aliis exanthematis, quae derivationem et revulsionem secretionis ab interioribus partibus interdum efficiunt. Ita factum est, ut, quod supra attulimus, secretione aquae per nares effusa, aliquot aegroti valetudinem bonam recuperaverint.

g) Infaustissimum autem est, si caput fervescere et una aegrotus febri corripi incipit: hoc enim transeuntis hydrocephali chronici indicium in acutum est.

Omnino igitur prognosis pessima habenda in hydrocephalo chronico infantum.

Nec laetior affulget praedictio in hydrocephalo senili.

Nam etsi paroxysmos illos aliquamdiu submovere licet medico, tamen nulla fere ratione impediri potest, quominus serius ocius morbi impetus redeant. Pessimum est, si morbus lente serpit, ita ut medici oculos fugiat, dum, quae morbus gignere solet, jam adsint.

Ceterum est cavendum, ne, quae esse adjumenta interdum artis medicae supra diximus, herpetem, scabiem, semper ita sese habere credas. Non raro enim nihil sunt, nisi morbi complicationes, quas jam nostrum est disputare.

COMPLICATIONES.

1) Haud raro, quae in hydrocephalo chronico reperiuntur, complicationes sunt vel tractus intestinalis vel hepatis affectiones, quae sympathia quadam inter organa chylopoëtica et cerebrum effici videntur: id quod vel inde colligitur, quod hydrocephalus nonnunquam digestionis perturbationibus provocatur.

2) Complicationes quoque cum morbis organorum respirationis non ita raro a medicis observatae sunt, cum tussi convulsiva, bronchitide, interdum cum pneumonia, cum morbillis et scarlatina, cum scabie etiam et herpete. Brachet, vir doctissimus, prae ceteris etiam complicationem, quae posita est in partiali arachnoideae inflamma-

tione, aut cerebri ipsius, descripsit eamque inde cognosci censet, quod pulsus sit durus, frequens, plenus, sitis ingens, paene intolerabilis dolor, qui motu minimo soleat augeri; quod buccae circumscriptum ruborem prae se ferant, oculi splendeant, deliria appareant. Insuper cum scrophulosi et helminthiasi complicatio invenitur et ipsa tubercula in cerebro animadvertuntur, de qua complicatione inprimis Coindet, Green, Ruef, Abercrombie consulendi sunt.

CURATIO (1).

1) Prophylactica curatio ante omnia in infantibus est impendenda, quos ad hunc morbum opportunos suspicamur. Sunt autem omnes ii, quorum unum aut complures consanguineos laborasse eodem morbo novimus, namque haud raro hereditarium esse hunc morbum supra adnotavimus. Ita P. Frank feminam quandam septem infantes eosque omnes hydrocephalo affectos edidisse nobis-

---

(1) Schoenlein l. c. p. 157—159.
Canstatt l. c. p. 66—68, §. 222.
P. Frank l. c. p. 425—434.
Meissner l. c. p. 147—153.
Puch l. c. p. 276. §. 535.

cum communicat. Tres auctor libri, qui inscribitur Handbuch der speciellen Pathologie und Therapie der chronischen Krankheiten, narrat sexagenarium virum, vino nimis deditum, cum femina integra et sana genuisse liberos, qui hydrocephalo consumerentur. Plura non nostrum est exempla hic apponere.

Ab his igitur infantibus omni modo, quae provocent morbum, sunt arcenda. Id quod effici maxime potest diaetam idoneam imperando, animi et ingenii facultatibus parcendo, praesertim si infans iis excellat. Praeterea nobis videndum est, ne unquam alvus diutius quam viginti quatuor horas sit obstructa. Quod si acciderit, acidula refrigerantiaque medicamenta adhibenda sunt, ut electuarium lenitivum, pulpa tamarindorum, infusum sennae cum syrupo mannae etc., parcae alicujus salis neutr. doses. Diaeta caeterum sit blanda, liquida, eupepta; quaecunque congestiones ad caput efficiant, inprimis ea vitentur, quae caussas occasionales esse supra diximus. Caput ipsum cave ne sit calidius, qua de caussa mitrae pellitae laneaque tegumenta sunt rejicienda; extremitates contra calore foveantur. Suadendum etiam est, cujus rei auctor est de Portenschlag, nisi fallor, ut caput aqua frigida quotidie lavetur.

At morbus, si jam irrupit, ante omnia cura colloce-

tur in aqua removenda, id quod effici solet per intestinum et per renes. Adhiberi igitur jubent medici medicamina alvum solventia, praesertim e numero drasticorum ob intestini inertiam. Jalappam cum calomelane, aut infusum foliorum sennae cum tartaro natronato, cum remediis diureticis, pulveris aut infusi forma, prae caeteris commendant viri docti. Per renes optime derivationem herba digitalis efficit, sive pulverata mercurio dulci additur, sive infunditur et ita addito liquore ammonii acetici praebetur. Cantharidum tincturam, colocynthides, tartarum stibiatum, oleum terebinthinae, salubrem vim exserere docent viri medicinae periti. Treusenius maxime in hydrocephalo ventriculorum cerebri adultorum curando tartari stibiati doses in dies augendas commendat (usque ad tria grana horis alternis), circulationem quidem hac ratione ratus accelerari (1). Infantes si sunt validi, quotidie quinque vel viginti guttae olei terebinthinae cum viginti vel quadraginta guttis olei ricini pro varia infantis aetate et vi, quam intestina et organa urinifera habent, adhibeantur.

Imperant etiam medici quidam ad resorptionem promovendam, ut caput tonsum mixtura ex unguento mercuriali et unguento juniperi aut digitalis perfricetur, atque

---

(1) Cfr. Casper's Wochenschrift. 839. No. 42.

ita perfricatum mitra lanea bene adaptata obvolvatur. Mixturae hujus ex una parte unguenti mercurialis et duabus unguenti juniperi partibus compositae infantibus, qui nondum primum aetatis annum excesserunt, ℨjβ—ℨjj infricentur. Praeterea applicentur vesicatoria majora ad caput, interne autem calomelas, jodum, hydrargyrum jodatum. Neque omittenda sunt balnea leniter irritantia, i. e., kalina. Medici veteres etiam sialagoga et errhina commendarunt.

Majorem tamen vim, quam omnia quae diximus remedia, habere solent, si ossa cranii adhuc mollia sunt, cranii compressiones per fascias aut emplastra adhaesiva, quibus volumen capitis minuatur. Copelandius hunc in finem praecipue laudat emplastrum ex paribus partibus emplastri picis comp. et emplastri ammoniaci c. hydrargyr. linteis habenulis illitum. Primus hanc methodum proposuit Howe (1).

Nostris temporibus punctionem fonticulorum commendarunt, instituendam in eo fonticuli majoris loco, quo fluctuatio evidentissime sentitur, ope acus sutoriae. Male quidem. Jam prima enim, quae fecerunt hujus generis experimenta medici, haudquaquam prospere cesserunt:

(1) Cfr. Schoenlein l. c. p. 158.

aegroti convulsionibus affecti brevissimo tempore perierunt. Cujus rei caussa quum collocaretur in repentina aquae evacuatione, medici voluerunt aquam paullatim, i. e. intervallis trium vel quatuor dierum interpositis, eliminari, nec amplius quam uncias ternas. Sed quamquam ea ratione convulsiones prohibebantur, vera morbi sanatio non potuit effici. Accedit, quod operatio non ita expers periculi est quam in ascite — id quod medici quidam contenderunt —, etenim prope semper hanc operationem meningitis sequitur, mortem brevi illatura. Nullum igitur fere in terra continente — namque ab Americanis et Anglicis medicis solis inventa in usum vocata est — tulit plausum. Nimirum pericula hac operatione conjuncta evidentius patent, utilitas, quam affert, minor ac nimis anceps, quam ut digna sit, quae adhibeatur. Verumtamen Goelis (1) prosperos inde eventus sese obtinuisse affirmat, Conquestiusque in decem ex undeviginti infantibus, quos submiserit operationi, mortem non irruisse testatur. Copelandius, qui eam non adhibendam statuit, nisi omnia remedia alia usu destitui videris, imperat, ut punctio non saepius quam par sit iteretur, nec justo plus uno tempore amoveatur humoris. Dum effluunt

(1) Cfr. Goelis prakt. Abh. üb. d. vorzügl. Krankheiten des kindl. Alters. Wien 1818. Band II.

humores, leniter cranium comprimatur et simulac pulsus subsidere coepit, rima bene claudatur.

Trepanatio nullo pacto probanda est. Nec magis moxarum usum laudamus, nec, quas Marcus adhiberi jussit, superfusiones frigidas. Schoenlein iis adhibitis tantum abest, ut utilitatem aliquam observaverit, ut convulsiones et mortem consequi plus semel viderit.

Jam vero vides, nulla esse remedia hujus morbi certa, ita ut, nisi initio remedia, quae adnotavimus supra, adhibeantur, ei mederi medici nequeant. Si vero longius processit morbus, medici tantum est, malum, ut ita dicam coërcere et prohibere, quominus majores et celeriores faciat progressus. Id quod compressione illa et diureticis et drasticis, quae supra diximus, remediis optime efficitur. Nec tamen diaeta est negligenda. Esse debet simplex et eupepta, ut olera, poma, non ita multum carnis, neque farinacea et pinguia, quae faeces efficiunt largiores, sunt sumenda. Infantium situs in lecto sit erectus, ne improvida erectio aut major aliquis motus vomitionem moveat, et ita congestiones ad caput adducat. Eadem ratione omnia sunt arcenda, quae vehementius irritent cranium, vel ipsae sensuum irritationes et affectiones. Neque est omittenda curatio, quae dicitur palliativa. Ut cedant suffocationes, sumat aegrotus vinum

stibiatum, myrrham aqua foeniculi destillata solutam; vesicatoria ad pectus aut fonticulus ad musculum deltoideum adhibeantur; ut demulceantur convulsiones, moschus et clysmata ex asa foetida aut rad. valerianae administrentur, quibus irritatio fiat nervorum abdominalium. Alvus ne sit obstructa curetur, et urina, si coërcetur paralysi, evacuetur; sin sua sponte urina effluit, partes vesicae proxime sitae a corrosionibus defendantur. Chronicus hydrocephalus, si transit in acutum, ad hanc formam curatio accommodari debet, de qua tamen disputandi hic non est locus.

Jam vero transeamus ad hydrocephali senilis curationem. Quando impetu magno symptomata una cum febri et vehementibus convulsionibus irruunt, hirudines ad tempora et pone aures, fomenta ex aceto tepido cum aqua ad caput tonsum, derivatio per intestinum et per renes, nunc remediis alvum moventibus, nunc diureticis, derivatio per nervos periphericos vesicatoriis ad suras admotis instituantur. Cibus sit tenuis, irritationem minuens; potus tepidus et saporis aciduli. Sensuum motus et affectiones atque omnia, quae capitis offensionem et irritationem commovere possint, aut nervorum pulmonalium, sedulo prohibeantur. Clysmata ex floribus matricariae chamomillae, ex valeriana et asa foetida haud sunt praetermittenda.



VITA.

Natus sum ego Petrus Henricus Roos die X mensis Maji a. MDCCCXIV Confluentibus, Borussiae Rhenanae oppido, patre Joanne Baptista et matre Gertruda e gente Reichmann, quos parentes morte mihi erreptos pio animo lugeo. Fidei catholicae sum addictus. Primis literarum elementis imbutus Gymnasium Confluentinum, quod directore Kleinio floret, per octo annos frequentavi. Testimonium maturitatis adeptus Halam petii. Vere MDCCCXXXV Monasterium petii, quo scholae medico-chirurgicae, quae ibi floret, adscriptus sum et per quatuor semestria hisce doctissimorum virorum praelectionibus interfui: Cel. Schmeding de chemia; Cel. Roling de physice; Cel. Becks de botanice et zoologia; Cel. Tourtual et Cel. Riefenstahl de anatomia generali atque speciali et de arte cadavera rite secandi; Cel. Heindorf de physiologia; Cel. Pellengahr de pathologia et therapia speciali et de materia medica; Cel. Wir-

hensohn de diaetetica et pathologia universali; Cel. Kladden de chirurgia, qui etiam fascias et ligaturas rite ipplicare me docuit; Cel. Tourtual de akiurgia.

Anno MDCCCXXXVII tempore paschali almam musarum sedem Rhenanam petii, ubi a rectore magnifico Wutzer numero medicinae et chirurgiae studiosorum adcriptus sum. Lectiones, quas ibi frequentavi, hae sunt:)e arte obstetricia, de instrumentis obstetriciis, de morbis uerorum, de ossibus fractis et luxatis audivi Ill. Kilian; e morbis syphiliticis Ill. Albers; de anatomia chirurgica l. Wutzer; de formulis rite conscribendis Ill. Bischoff. n practicis exercitationibus duces mihi fuere: in clinico hirurgico et ophthalmiatrico, in operationibus chirurgicis ı cadaveribus instituendis Ill. Wutzer; in exercitationius in phantomate instituendis, in clinico obstetricio Ill. ilian.

Tempore paschali MDCCCXXXIX Berolinum adii, et ıtumno MDCCCXL a rectore magnifico Ill. Lichenstein, decano Ill. Osann inter cives acaemicos receptus sum. Lectiones, quas ibi frequentavi, ıe sunt: de logice audivi Ill. Beneke; de psychologia l. ab Henning; de pathologia et therapia speciali Ill. asper; de morbis cutaneis Cel. Dann; de medicina fonsi Ill. Wagner; de morbis nervorum Cel. Romberg.

Ad praxin medicam me instituerunt viri Ill. et Cel. Rus
Dieffenbach, Juengken, Wolff, Schoenlein
Truestedt, Barez, Osann.

Praeterea per annum sub auspiciis doctissimi Ru
dolph, chirurgi militaris munere voluntario functus sun

Quibus viris omnibus, optime de me meritis, qua
possum maximas habeo semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam me
dico, nec non examine rigoroso superatis, spero fore, u
dissertatione thesibusque rite defensis, summi in medicin
et chirurgia honores in me conferantur.



THESES.

1. Gangraena senilis haud indicat amputationem.
2. In partus decursu perinaei sustentatio non est ne
gligenda.
3. Diabetae sedes minime est in renibus.
4. Ligatura torsioni anteponenda.



NARROW GUTTERS

(1-2 CHARACTERS LOST ON SEVERAL PAGES)